



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Vt clericos discordantes episcopus sua potestate reconciliet. ccxv.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**



D. BURCHARDI EPIS. VVORMAC.

contemptores, & Ecclesiasticæ sanctitatis profanatores  
propriæ gradus amissione multentur: quia non possunt  
simul Deo & seculo militare.

*Vt omnes clerici magis confidant in defensione Dei,  
quàm in armis. Cap. CCXII.*

*Ex cõcil. Aureliane. ca. 9.* **O**Mnimodis dicendum est, presbyteris & diaconibus  
vt arma non portent, sed magis confidant in defen-  
sione Dei, quàm in armis.

*De illis qui ex ecclesiastico ordine, aut venantur, aut  
cum accipitribus iocantur. Cap. CCXIII.*

*Ex cõcil. Meldensi. cap. 8.* **E**Piscopum, presbyterum, aut diaconem canes ad venan-  
dum, aut accipitres, aut huiusmodi res habere non  
cet. Quod si quis talium personarum in hac voluntate  
pius detectus fuerit, si episcopus est, tribus mensibus  
communione suspendat, presbyter duobus, diaconus  
ab omni officio & communione suspendantur.

*De seruis Dei, vt omnes syluaticæ vagationes cum canibus  
accipitribus interdiciantur. Cap. CCXIII.*

*Ex cõcil. Aureliane. cap. 3.* **O**MNIBVS seruis Dei venationes & syluaticas  
vagationes cum canibus, & vt accipitres & falcones  
habeant, interdiciamus.

*Vt clericos discordantes episcopus sua potestate  
reconciliet. Cap. CCXV.*

*Ex cõcil. Africano. ca. 59.* **D**iscordantes clericos episcopus vel ratione, vel po-  
testate ad concordiam trahat, inobediētes, synodo  
per audientiam damnet.

*De clericis qui proruperint in mutuam cædem.  
Cap. CCXVI.*

*Ex cõcil. Hilerdē. cap. 6.* **S**I qui clerici in mutuam cædem proruperint, prout  
ignitas officiorum in tali excessu contumeliam per-  
lerit, à pontifice districtius vindicetur.

*De eadem re. Cap. CCXVII.*

*Ex eodē. cap. 7.* **F**Rater in fratrem, si ausus fuerit manum mittere,  
legitimam disciplinam accipiat.